



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



MODUS XXIX.

Imagines Sacræ, totias orationis nonnunquam suggerunt structuram, quod fit, quando forma imaginis, siue modus repræsentandi rem signatam, explicatur: reddendo causas, cur hac vel illa ratione pingatur, quid ejus partes, quid adjuncta notent ut, si dicturus de Passione Domini assumat ad tractandum, formam, qua pingitur servator crucifixus, & agat 1. Cur caput gerat inclinatum? 2. Cur idem, spinis in morte, & à morte coronatum. 3. Cur oculos clausos? 4. Cur Os silens, cur aures minimè audientes? 5. Cur vultum confasum? 6. Cur pectus apertum? 7. Cur manus affixas? 8. Cur pedes perforatos? 9. Cur totum corpus confectum? Idem de aliis aliorum sanctorum iconibus, præsertim variis insignibus & titulis illustribus. E. g. de Principum Apostolorum clavibus & gladio, de Joannis calice, de Bartholomæi pelle, de Sebastiani Sagittis, de Casimiri lilio, de Alberti remis, & Pontificio sceptro &c. Advertendum autem, non semper omnes imaginis partes aut adjuncta tractari, sed interdum omnes, unam quoque interdum posse assumi.

PRAXIS.

In Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Tu es Petrus, & super hanc Petram, edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam. Matt. 18.

Accessus & Propositio. Ita hodie firmitatem Ecclesiae in Petro fundatae, & adversum portas inferni munitae profiteor, ac venerunt ut simul ad infirmitatem illorum respiciam, qui considerantes, diversis locis ut in Anglia, Suecia, ac imprimis Oriente, vigorem Ecclesiae & decus collapsum, inquirere non raro soleant. Quid sit? quod Deus Dominus, concessio tanto indefectibilitatis privilegio, universali Ecclesiae, partibus tamen nonnullis, illam concuti, ac collabi sinat? Ad hanc itaque infirmorum quaestionem respondere volo; nec aliter id faciam, quam iis adductus argumentis; quae, sacrae Apostolorum Petri & Pauli, in suis Symbolis repraesentant imagines.

Confirmatio ex consideratione clavium Petri, & Ensis Pauli.

Quod oculis patet, sermone longiore ut formetur non interest. Tales vero sunt formae D. D. Apostolorum, quorum alter cum clavibus, alter cum gladio, pingitur: & uterque; & sigillatim & junctim sumptis Symbolis, causas, cur Deus partes Ecclesiae, per loca & Regna varia labi sinat, edocet.

Ac

Ac primum divi Petri claves, non dubiè quidem in Petro supremam ac plenariam gubernandæ Ecclesiæ potestatem significant? Qui enim domus claves possidet, potestatem in domum habet. Hinc & Apoc. 1. ait Dominus. *Habeo claves mortis, & inferni*, significans, mortem, & infernum in sua esse potestate. Si tamen verba servatoris quibus illas tradit, expendantur, rem quoque nostram apertam faciunt. *Tibi*, inquit, *Christus dabo claves regni cælorum*. Quid causæ quæro, quod Christus promittat Petro, claves, non clavem? An quia unius cæli, plures portæ? unde dicitur. *Tollite portas Principes vestras*. Psal. 23. Cogitent id delicatuli, qui se nullo studio, cælum posse occupare existimant. Inter causas interea cæteras, illa quoque verissima, & nostri propositi est, ideo Petro dari claves, non clavim, ut significetur Petri fidem, & Ecclesiam; non alligari, nec stringi locis, Provinciis, regnis, sed esse indefectibilem, ac universalem quæ indefectibilitas ac universalitas permissis, Ecclesiæ in nonnullis partibus, ruinis, magis demonstratur; cum, quamvis in multis locis videatur ruisse, ipsa tamen semper subsistat. S. Leo Serm. 3. de Passione, *Christus ait non in templo, nec intra septa civitatis, sed foris, & extra castra crucifixus est; ut crux Christi, non templi esset ara, sed mundi*. Pari modo dicere de clavibus Petri licet, esse & dici claves, non templi, non loci alicujus, sed mundi, & totius regni cælorum. Origen. in Comment. in Mat. *Petro quidem, ait, sunt datae claves, non unius cæli, sed multorum cælorum, ut quacumq; signaverit super terram,*

terram

terram, sint ligata, non tantum in uno celo, sed in omnibus calis: adeos autem, qui multi sunt ligatores, & solutores, sic dicit, ut solvant, & alligent: non in calis sicut Petrus: sed ut solvant, & alligent in omnibus locis, id est singuli, in suis. Quod, si hæc ratio argumentandi, in comparatione, verorum clavigerorum valet, quid dicemus de iis, qui sibi dolose claves arrogarunt? Gloriabatur olim impiè Donatus, apud Augustinum, sibi claves Africæ, & in ea Regni cælorum commissæ. Idem dixisse poterat, Arius in Oriente, & alii Hæresiarchæ; sed quæ istæ claves, dispersæ ac dissipatæ, atque demum singulares? ut si Donato Africam eripias, si Ario Orientem, nusquam subsistant. Non sic Petrus; qui gestat claves regni cælorum, nunquam sua ditione, nunquam suo jure, mensibus etiam regnis, ac Provinciis, destitui potest, ad quod referas item, sensum Clemen: lib. Stromat 6. Philosophiam (dic tu hæresim) si quis magistratus prohibuerit, ea statim perit; nostram autem doctrinam, à prima usq; prædicatione, prohibent simul Reges, & Tyranni, & singuli Duces, & Magistratus cum universis satellitibus, in nos belligerantes; & exscindere conantes, illa autem magis floret. Speciale hoc, Patri claviu privilegium, ut nihil deperdant, quamvis aliquibus portis occlusis subtrahantur præsertim, cum singulari Divina providentia id evenisse, evenireque compertum sit, ut si quæ Provinciæ, his clavibus subtrahantur, aliæ continuò substituuntur. Id factum post Lutheri, Calvinique hæresim, monstrat, Indiarum ac Japoniæ conversio; id fieri, post miseram

rum item, quorundam regnorum lapsum, docent recens literæ, quæ de innumerarum gentium ad Christum conversione, significant.

Sed & gladius Pauli, innuit aliam causam, cur Ecclesia in se indeficiens, in aliquibus terris, regnis, Provinciis deficere sinatur? sunt autem peccata populi, propter quæ justo Dei iudicio, beneficium salutis illis subtrahitur. Gen. 3. post narratam lapsum primorum parentum concludit scriptura. *Ejecitq; (Deus scilicet) Adam, & collocavit ante Paradisum voluptatis, Cherubin, & flammæum gladium, atque versatilem.* Quidni Ecclesiam, dicamus esse Paradisum? Quid in Paulum Cherubin? Paradisus primam dedit homini vitam; Ecclesia reddit; in qua, *salvos nos fecit ad Tit. 3. per lavacrum regenerationis.* Paradisus arborem fovit; Ecclesia panem vitæ. *Joan. 6. Ego sum panis vivus,* Paradisus, fontibus gratissimis scatebat; *Fluminis impetus Psal. 45. lacrymarum scilicet, & pænitentia, latificant civitatem Dei:* id est Ecclesiam. Paradisus, erat mediū beatitudinis; Ecclesia suos salvat. *Qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit.* Marc. 16. Est ergo Ecclesia Paradisus, antequam stat Cherubin, Paulus, Cherubin enim alis vehitur; Paulus ad tertiū usque coelū proVectus. Cherubin sapientissimus; Paulus 2. ad Corinth. 12. *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Cherubin, Paradisi custos; Paulus, Ecclesiæ. Sed cur gladio terret? ut discamus, ideo multos Ecclesiā, & à multis Ecclesiam excludi, propter quod exclusus est, primus homo ex paradiso, scilicet propter peccata. Scio, D. Chrylostomo, Pauli gladium dici Coronam: quā caput suum cingi optat: at, ut

Cheru-

Cherubin, tam diu Adami custos, quam diu ille
 Deo obsequens; mox verò, post peccatum, factus
 ultor; ita Paulus, piorum. Corona, impiorum ultor
 O si illa regna, quæ jam à Christo, & Ecclesia re-
 scissa sunt, prævidissent imminencia sibi pericula!
 O si & alia præviderent! profecto, non alia illis spe-
 ctacula, occurrerent frequentius, quam gladiatorum
 districtorum, templis ipsis & Ecclesiis, propter pec-
 cata, maximè in ipsa Ecclesia committi, solita. immi-
 nentium; quales & ante Hierosolymæ excidium,
 in aère visi, supra templum notantur, & quales eidè,
 prædicti à Christo Matth. 21. videntur, quando in-
 travit in templum Dei & ejiciebat omnes vendentes,
 & ementes; tum verò graviter increpans; *Domus*
mea inquit, Domus orationis vocabitur, vos autem
fecistis illam speluncam latronum, Quid ni potius di-
 ceret? Emporium, aut forum, in quibus vendi res,
 & emi solent, non vero speluncam. Tria potissimū
 spelunca habet. 1. Est asylum latronum: ad quod, vi-
 taturi supplicia confugiunt. 2. Est velamen scelerū,
 sub quo, multa homicidia, & malepartorum malæ
 partitiones, aliaq; immania scelera peraguntur. 3. Est
 nutrix, & limes mortis, à quo scelerati ad necem &
 gladiū aut prodeunt, aut producūtut. Faciunt igitur
 improbi Eccles. speluncā, propter priora duo, quia
 eò confugiunt vitaturi supplicia, peccatorū: & cum
 confugiunt, asylum suum, volunt esse velamen cri-
 minū novorū, supra quæ ingemiscens Chrysos. ho-
 mil. 32. *Domus priscis temporibus, Ecclesie erant:*
nunc ipsa etiam Ecclesia in Domum redacta est.
Nihil ante in privata, domo, carnale loqueban-
tur: nihil nunc in Ecclesia spirituale memoratur:

Sed

sed huc etiam fori, & iudicii negotia introducitis, quas ob res, acerbe fleo, & nunquam flexi finem faciam. Quid ni igitur, ex eo tertium sequatur? ut Ecclesia, facta hoc modo spelunca, fiat nutrix gladii, & primus limes, iræ Divinæ contra peccatores, quam indicat Pauli gladius, & explicat horrendis minis Dominus Jer. 7. dicens. *Nunquid ergo spelunca latronum, facta est Domus ista, in qua invocatum est nomen meum, tum subdit. v. 15. Projiciam vos à facie mea, sic ut projecit omnes fratres vestros, universum semen Ephraim. ac rursum. Tu ergo, noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem & orationem.* Quid gravius dici potuit? & quæ clarior causa reddi, cur nobis, orationum communio, cur laudandi Dei loci adiunantur, cur à facie Domini cum regnis & provinciis abjiciantur? quam hæc dicta Prophetæ, & peccata nostra, & iram Dei, gladio D. Pauli signatam, memorantia.

Restat, ut conjunctim quoque, sumptæ claves Petri, & gladius Pauli, causam suggerent; cur Deus sinat, Ecclesiam, in partibus quibusdam orbis collabi, & est; violentia, quæ clavibus, & gladio; improbe interdum ab hominibus infertur. *Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati, ait de Apostolis Ecclesia.* Par illis vita, ac mors obtigit. Ardet zelo Petrus, & pro Christo, se morti offert. *Matth. 26. Etiam si me oportuerit mori, non te negabo;* ardet Paulus, & ad ejusdem gloriam cupit esse anathema, pro fratribus, ad Rom 9. Humilis Petrus, Christi præsentia se indignum judicat; *Exi à me Domine,*

quia

quia homo peccator sum, Luc. 5. Humilis Paulus, minimum se Apostolum iudicat, 1. Cor. 15. *Ego minimus Apostolorum.* In defessus labore Petrus, Judæa, Græciam, Romam prædicatione implet. Par studio Paulus, eadem aliaque loca prædicans, obit. Opulchram vitæ similitudinem! quam mors par coronet. Pro eadem Religione, eadem die, ab eodem Tyranno, Martyrio coronati: Ut tandem, nec post mortem separarentur, ambo, Principes, Tutores Ecclesiæ simul esse meruerunt; ita illam defensuri, ut & claves gladio, & gladius clavibus jungatur, Num. 32. ait de Israelitis scriptura. *Egressi sunt de Aegypto per turmas suas, in manu Moysi & Aaron.* ubi Orig. *Ad exeundum de Aegypto, non sufficit una manus: sed manus Moysi queritur & Aaron.* Ito securam cohors sub talibus Ducibus. Commodissimè id referes ad Duces Ecclesiæ, Petrum, & Paulum: verum ne duæ tibi manus dissensionem ingenerent, adverte scripturam, dicentem, non in manibus, sed in manu Moysi, & Aaron, quod notans, qui supra, Origen. *In manu inquit, Moysi, non in manibus.* Unum enim opus uniusq; una manus est, atq; una perfectionis expletio, scilicet, in Moysse & Aarone populi liberatio: in Petro, & Paulo, Ecclesiæ per claves & gladium defensio, & tutela. At quam non rarum, etsi impium? ut & claves Petro & gladius Paulo, si superis placet, vi extorqueantur? Quid agunt, qui, nequaquam debita præparatione præmissa, Sacramenta sibi ministrari volunt? Petro, claves extorquent. Quid, qui excommunicationes, interdicta, & alias pœnas Ecclesiæ contempnunt.

L

Pau-

Paulo, gladium, ad Ecclesiæ jura tuenda datum, eripere nituntur. Fit ergo, ut ejusmodi turbatores, audiant dicta, Jos. 7. *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus.* Gravis erat multis solus aspectus clavium, fiat ergò, ut Ecclesiæ sublatæ, non inveniantur, etiam cum quærentur. Oderant sacras Concioniones, audiant hæreticas, Paganasque blasphemias: fugiebant frequentiam Sacramentorum, arefcet anima, sine usu illorum. Execrabantur monitiones, decreta, minus Prælatorum, sentiant servitutem Barbarorum. Tollantur de medio populi DEi, qui tollere claves Petri nitebantur de Ecclesia, rescindantur per bella, aliosque infaustos eventus à fidelibus, qui voluerunt ferre fulgorem gladii per Ecclesiam micantis cum fidelibus: ut sicut ait Chryf. in Psal. 3. *Vnde est fons peccati, inde procedat, plaga supplicii.*



MODUS XXX.

PER Protopopæiam, vel quasi Protopopæiam, quando scilicet Orator, inducit in Oratione, aliam à se personam loquentem, & quid illa dicat, non in quo, ipsi audiri velit, refert: explicando interea, illa aliena dicta, probando, amplificando. Possunt autem induci, ratione gravitatis debitæ, servata, non solum res animatæ, sed & inanimatæ, ut cælum, sol, elementa, & his paria: quemadmodum fecit D. Aug. in soliloquiis, inquirens Deum, & inducens

gens